



00

Die Bücher im dritten Ord.

Entfehligung M. f. Ilyrin .

Bedenken auf das Interim .

Bedenken der Jungen Chor: predigay .

Bedenken der Trägheit prediger .

Widder den Onöden Tempel Interim .

Das wunderbare zu Braunschweig .

N. Ansdorff Antwort widder D. Pomer

form einer papistischen Visitation .

Predig widder das Interim .

Widder des Interims Vater Haben .

Ehrige Briefe Mar. Lutp.

Widder die Oration D. Zieger N. Ansdorff

Christliche und thöthliche Unterweisung an alle christen Antonius Lampadij .

Vermahnung zur Predigart .

Eine Copy eines körperlichen Wundarzts .

EPIHALAMIO^E
ON DOCTI VIRICHRIS.

tophoris Trutenbuel, & virginis Clas-
ræ filiæ Consulis Marci Mulleri
Ascaniensis.

AUTORE THOMA
Bussiano Ascaniensi.

VVITEMBER GAE.

Anno Salutis nostræ,
M. D. XLIII.

MATTH. DELIVS.

Nunc age nunc hilarem capias vrbs inclyta vultum.
Pertinet ad laudes hæc quoque pompa tuas.
Consulis hic titulum præfert nomenq; libellus,
Sed tamen hic magnum tu quoq; nomen habes,
Qui legit hæc, nomenq; tuum laudescq; recenset,
Et qua sit tantus Consul in vrbe notat.
Ac simul Ascaniæ repetens & nomen & ortum
Ascanis affirmat nomen adesse tibi.
Atq; tuas prima ducens ab origine laudes
Ponderat, & nomen tollit in astra tuum.
His igitur faueas Musis, tibi faueris ipsi,
Hæ tibi cantando nomina magna dabunt.

P R A E*

PRAEFATIO AD
Sponsum.

Ecce tibi, tædas celebrant quicunq; lugales,
Auri atque argenti munera sponse ferunt,
Sponsam matronæ preciosis dotibus ornant,
Ostendunt animi lætac; signa sui.
Divitibus decori est, præstantia munera ferre,
Ut quibus est Arabum splendida gaza domi.
Ast ego qui tenerum duco formator Ephebum
Ad vada Permessi, quæ tibi dona dabo?
Non præbet nummos Helicon, sed carmina donat,
Carmina quæ thalami vincula sacra canunt,
His igitur donis venio suauissime Sponse,
Aurea cum nequeam, chartea dona fero.

A n EPI.

CANTABERG

EPIHALAMI
ON DOCTI VIR I CHRISTO
phori Trutenbuel & virginis Claræ
filiæ Consulis Marci Mulleri
Ascaniensis.

QVI tenet ingenitum blandi cognomen amoris,
Christophorus fuerat saucius igne nouo.
Non studio tetricæ lætatur ut ante Mineruæ,
Nec iura, aut leges languida cura legit.
Iurgia nulla fori, aut populi tabularia curat,
Nec pro sollicitis scribere verba reis.
VNDE hæc sunt subito fastidia tanta laboris?
Cur linquit partes mens labefacta suas?
Scilicet indiderat mollem Cytherea calorem,
Cernere cum pulchræ virginis ora dedit.
Miserat e Paphio pharetratum vertice amorem,
Qui matris gaudens dulcia iussa facit.
VT videt aspectu iuuenem sine fine teneri,
Nec satis hunc oculos pascere posse suos,
Protinus intenso depromit spicula cornu,
Amborum pectus molliter atque ferit.
Sic quondam Hippomanes dum Atalantæ figit ocellos,
Virgine cum chara yulnus amoris alit.

For.

Formosæ Tethidis Peleus exarsit amore,
Humanas spreuit nec Dea pulchra faces.
Quare cum castis flagrauit flamma medullis,
Vsq; videt vultus quos sibi finxit amor.
Virginis ah quoties audiuit amabile nomen,
Quam facile erupit tota per ora pudor.
Interdum tales euoluit pectore curas,
Ardorem stimulis exacuitque nouum.
Si pater æthereus cœlesti numine pronus
Me iuuat, euenient gaudia quanta mihi?
Quis scit an hæc superis ita sit decreta voluntas?
Et me seducat forsitan error iners?
Vtendum est animo, fœliciter omnia cedunt
Audenti, refugit prospera cœpta metus.
Scilicet agnoscit manuum figmenta suarum,
Dexter adest facili prosperitate Deus.
Ipse pater sacræ sanciuit fœdera tædæ
Ipse pater sociam mandat habere thori.
Haud dubitare potes diuinitus esse calorem,
Admonet edicti te Deus ipse sui.
Pectus amore tuum formosæ virginis ardet,
Quæ Clara est claro nomine dicta suo
Quid: quod ei pater est Consul Mullerus, honestum
Quem celebrat passim dextera fama virum,
Diuitijs etiam, dignis & honoribus auctus,
Ipse pater patriæ dicitur esse suis.

A ij

Quid

Quid decus' egregium & quid rāræ munera formæ
Dicam & qua vincit virgo decora rosas.
Cærasia obducit color vt cendentia primum,
Sic rubor in niueis lucet vtrinqꝫ genis.
Floruit hac quondam Lucretia casta decore
Pulchra pudicitia est, pulchra decore simul.
Talia cum læto tractasset pectori secum,
Coniugium castæ virginis ipse petit.
Mox ubi legitimas audiuit virgo decora
Tædas, insurgit casta per ora pudor.
Verba facit modice ad charos pudibunda parentes,
Paucula virgineo leniter ora loquens.
Vobis exhibui (vt spero) pietatis honorem,
Vobis perpetuo filia blanda fui.
Vestri iuris erit, si sim socianda marito,
Vestraꝫ prospiciet sedula cura mihi.
Cristophori fies charissima filia docti
Clara thori consors, dixit vterqꝫ parens.
Cuncti fœlices vos dicent omnibus horis,
Quorum pectoribus mutuus ardor inest.
Qui face solenni connubia iungitis ambo,
Expetitis thalami fœdera sancta sacri.
Vos innupta cohors exemplo discite tali,
(Si pietas grata est, virgineusque pudor)
Vt thalmos vestros procurent rite parentes,
Nam patris ætherei munia sancta gerunt.

Sic etiam

Sic etiam tædas Hymenæus præferet olim,
Continget fœlix coniugialis amor.
Dilectus Veneri puer aliger omnia cernens,
Per liquidum pennis aëra librat iter.
Aequora transuectus raptim quatientibus alis,
Nunciat Idaliæ gaudia magna Deæ.
Mandatis exacta tuis sunt omnia mater,
Christophorum & Claram mutuus ardor habet,
Dicta dies tædis finito tempore venit,
Conuentu populi perstrepit ampla domus.
Iamq; Halberstadio magno venit agmine Sponsus,
Sponsus anhelanti conspiciendus equo.
Instratis collucet equis impigra iuuentus,
Et sonitu terram quadrupedante ferit.
Iam ruit alta in equis iuuenum manus ilico portis,
Inducit Sponsum ciuica turba nouum.
Non cessare tuum est, nec te pia mater abesse,
Sed facilem tædas præsto iuuare decet.
Officijs dilecte tuis promptissime fili,
Qui tua mandato corripis arma meo,
Pro te sollicitas habui multum anxia curas,
Prælia quanta tibi conficienda videns.
Non figendus erat quoniam tibi Pastor Apollo,
Non vt Lædæus Iupiter esset Olor
Palladis heu tetricæ sacræ Antistes inhærens
Debellandus erat, cultor & aonidum,

Non

Nondum me fili cœpere obliuia, quantum
Dura mali dederit pene Minerua tibi.
Quondam lusurus direxti tela Mineruæ,
Hastam intentauit nata seuera Iouis
Ni quoq; tu geminas agitasses ocyus alas,
Hæsisset capiti lancea torta tuo,
Res est exiguae laudis deuincere molles
Gloria pugnaci maior ab hoste venit.
Hoc magis idcirco placet hæc victoria nobis.
Quo plus sudoris palma petita tulit.
Dixit, at implicuit materno brachia collo
Idaliæ captans oscula blanda puer.
Deinde sub Idalijs Hymenæum quæritat vmbbris,
Præfecit thalamis hunc Dea pulchra ducem.
Tunc Hymenæus erat Paphiæ sub tegmine myrti,
Hunc meditabatur, qui caneretur Hymen.
Virgo decens facie, atque hedera formosior alba,
Cui vernant blandis ora serena rosis,
Pectoris interno viuaci prædita cultu,
Nobilior multo es dotibus ingenij.
Ut florem intactum dum in septis eminet hærtis
Festinat cupida carpere quisq; manu,
Attamen illæsus, nulloque emarcidus vngui
Vni seruatum porrigit ille decus.
Sic decus o virgo, multis ardore petitum,
Vni seruandum tradis amica viro.

Vnius

Vnius expectat, quæ certo fœdere lectum,
Virginibus forma est ampla pudicitia
Te iuuenis sociam thalami florentibus annis
Expetit, amplexus doctus amatq; tuos.
Viuite fœlices, quos firmo copula iungit
Fœdere, uos etiam nulla querela grauet,
Concordem citius neq; mors diuellat amorem,
Stamina non Parcæ dent brcuiora dæz,
Quam vos confectos vbi longa ætate parentes
Viderit innunera prole beata domus.
Sic recinit, vocem referebat concava vallis
Aligeros coetus, afficiebat hymen.
Accedit proprius cantus vbi percipit aure,
Et peragit tales aurea Diua sonos.
Quid facis o Hymenæe steris quid tempora cantu?
Dum tibi delicias fistula blanda facit.
Huc ades o mecum crines ornatus honore
Verno, sic ratio temporis ipsa monet.
Pulchram præstabit flos flammœus ille coronam,
Milleni nomen rite coloris habens.
Vel tua purpurei circundent tempora flores,
Qui paſſim prato versicolore virent.
Omnigenas præbet violas ditissima tellus,
Omne nemus frondet parturit omnis ager.
Non me diua fugit, non oblectamina cantu
Vana peto, sed thalami carmina canto sacri.

B

Name

Namqe sub hac myrto residens te Diua morabor,
Me comitem uolui iungere namqe tibi.
Dixerat hec Hymenaeus, at illi mater amorum,
Ergo age veloces accelleremus iter
Subiunctis curru magnum per inane columbis
Dilapsi festas ante stetere fores.
Aligeri circum lapsi laetantur Amores,
Tempotibus pulchris myrtea ferta gerunt.
Alma venus tacito se , & prono numine Sponsae
Insinuat, sentit numina nupta Deae.
Fragrat achæmenio molli domus intus odore,
Et Panchæa simul thura tub igne sonant.
Cratia cum geminis connexa fororibus affert
Collectis plenum floribus atqe sinum.
Serpilli redolet spirantis copia late
Et Thymbre, cythifus, saliuia, ruta, thymus.
Quicquid odorati tellus profundit honoris,
Gratia per totam sparsit vbiique domum.
Astruit ornatum varium Venus aurea sponsæ,
Auro circundat virginis articulos.
Atqe genis roseis iucundos afflat honores,
Vt niteat facies floridiorqe, facit.
Templa petunt, strepitns fit in ædibus, atqe tumultus
Cælatis foribus pompa decora fluit.
Perstrebit ante fores concentu tibi dulci,
Murmure iucundo tympana pulsa sonat.

Can.

Candenti faculas Hymenæus lumine gestat,
Ducitur ad templum virgo iuganda viro,
Virgineusq; chorus præcedit in ordine longo,
Vestibus ornatis pompa decora micat.
Subsequitur Sponsus Procerum comitante caterua,
Post matronalis candidus ordo venit.
Accinit in templo iuuenum symphonia concors,
Cantibus incq; vicem rite choraulis agit.
Hic mixtim resonant psalteria , cymbala, cannæ,
Atq; Amphionij musica blanda modis.
Quale quidem digitos Phæbeos tangere fas est
Talc opus hoc, redolet phidiacamq; manum.
Ut quondam lapides stupefecit Thratius Orpheus,
Cum mouit pulchræ fila sonora lyræ,
Sic stupet accipiens comentum sensibus imis
Suauiter affectus cœtus in æde sacra.
Dehinc celsam Sponsum cum virgine poscit ad aram
Dogmate qui Christi pascit ouile sacro.
Vincula qui cupitis sociare iugalia, vestris
Sermonem hunc animis percipiatis, ait.
Conditor omnipotens hominem sine labe creatum,
Coniugij expertem noluit esse sacri
Fœdere coniunxit stabili quos fecerat ambos,
Diuinis faciens talia verba modis
Quos Deus æternus diuina voce ligavit,
Edico nunquam separet ullus homo.

B ij Innu.

Innumeris natis iubeo, & benedico beatos
Vos fieri, terram prole replere meam.
Sic ego vos Domini diuina voce minister
Coniungo stabili fœdere coniugij
Pactam vos seruate fidem, pactosq; Hymenæos
Exercete, quoad debita fata vocant.
Vos faciat Domini benedictio prona parentes,
Natos natorum detque videre Deus.
Ordine pompa redit sacris ex æde peractis,
Consulis ad nitidæ splendida tecta domus.
Sunt tectæ super imposito mensæ intus acernæ
Gausape sithonia candidiore niue.
Hinc atq; hinc late suspensa toralia fulgent,
Picturis mirè deliciosa suis.
Substratis Proceres puluinis ordine iussi
Discumbunt, idem cætera turba facit.
Plurima ponuntur fabrefacto fercula stanno,
Et quod aquæ, syluæ, quodq; alit aér, adest.
Porrigitur fuluo mox francicus humor in auro,
Præbentur pateris candida vina suis.
Vitreæ pocula stant dulcique liquore repleta,
Ordea coixerunt quem lupulusq; simul.
Nec non apportat rubro carchesia vino
Plena, ministerio gnaua iuuenta suo.
Nunc vos qui tardas vultis celebrare iugales,
Viuere lætitia liberiore decet,

Quid

Quid pudor est vobis varijs ornata macellis,
Fercula formosa sumere structa manu :
Hinc pudor ignauus, missò documenta pudore
Plautini debent pondus habere senis.
Hospes apud plenam dapibus (mihi eredito) mensam
Nemo verecundas debet habere manus.
Hoc geniale decent tempus conuiua lauta,
Abstremio non hic sit locus Iliadæ.
Largior exhilaret vestras potatio mentes,
Sic frontis tetricæ ruga senilis abit
Interea Venus inspirat noua gaudia nupræ,
Hortatur nymphas carpere delicias .
Quam cito diffundunt vultum lenimina Bachi ?
Quam cito formosiss surgit in ora rubor ?
Lætificans vario conuiuas musica cantu,
Aedibus in pulchris irrequieta scnat.
Concentus aliis reddit vocisque lyræç,
Suauiter & mira temperat arte sonos.
Fit sonitus cythara, calamis, testudine, cannis,
Vincit Arionios musica blanda modos.
Postquam facta quies epulis, mensæque remotæ,
In grates cunctis lingua soluta D E I est.
Aedit raucisonos mugitus tympana planctu,
Argutumq simul fistula parua melos.
Ocyus à mensa cum pulchris Sponsa puellis
Emicat, hortatur numine Diua suo.

B iij Qnam

Quam faciles pedibus plaudunt de more choreas?
Quam sunt formosæ veste, decore, comis?
Mollibus incedunt aliæ, velamina seres
Quæ mittunt, alias purpura tincta tegit.
Aëris illa gerit puri formosa colorem,
Non turbat cœlum cum niger austus aquis.
Est alijs roseus, tali circundata amictu
Aurora in bñugis roscida fulget equis.
Candidus hic color est, viridis, phæniceus, albus,
Purpureus, roseus, suavis at ille color.
Nomina sed numero comprændere velle colorum,
Non minor est, flores quam numerare, labor,
Argenti a collo demissa monilia & auri
Dependent, auri plurimus hæret honos.
Quamuis ornatu sunt pulchræ & munere formæ.
Omnes, excellit Sponsa decora tamen.
Ac veluti nymphas superat collotenus omnes,
Exercet sylvis quando Diana choros.
Sic Sponsa ornatu supereminet ipsa decenti,
Formosis tanto pulchrior illa nitet.
Accedunt iuuenes, ductis saltantq; puellis,
Suauiter impliciti flore vidente comas,
Sollicitis oculis primæuo flore iuuentus
Obseruat tacite quas putat esse pares.
Dum secum laudat faciem, moresq; pudicos,
Interno tacite pectus amore calet;

Namq;

Namqe astans Veneris puer implicat ossibus ignem,
Et noua iam matri rite trophæa parat.
Quam bene disposuit summi moderator olympi,
Dum fouet humanas res bonitatis ope.
Sic vult incendi iuuenilia pectora flammis,
Vt paret ipsa nouos hac ratione procos.
Hinc iuuenes, pariter capiuntur amore puellæ,
Hinc properant sacri fœdus inire thori.
Quisque sibi casti causas proponit amoris,
Atqe animo subdit, qui calet ante, faces.
Moribus illa placet iuueni spectata pudicis,
Quæqe superciliosigna seuera gerit.
Hæc neque lasciuia est, necqe vultu virgo seuero,
Verum quod medium est inter vtrumqe, tenet,
Cui cordi est, amat hanc mediarum gratia rerum,
Talis coniugio digna puella placet.
Ast alius spectat, quæ cypridis ore decenti
Præfulget, roseas diligit atqe genas.
Corporis est virtus cultu preciosior omni,
Hac sola vt desinat cætera, virgo placet.
Maiestas oculis splendorqe iugalis oberrans
Extimulat mentem, connubijque decus.
Summe pater quanto lectum concendit honore
Sponsus : quanto Sponsa decore venit :
Quantus honos tædæ : populiqe frequentia quantas
Quam læto strepit u personat ampla domus :

om.

Omnis diffusa declarant gaudia fronte,
Applaudunt Sponso delicijsque novo,
Irrequetus adest Hymenæus carmine suavi,
Transigitur vesper lusibus atq; iocis.
Cura prius somni non est, quam parrhasis vrsa
Iam medium noctem clara sub axe trahit.

DE IMPIETATIS
TE ABOLITA, ET PIE,
tatis cultu suscepto apud Ascensiones.

A Natalicij Christi sol verterat annos,
Mille & quingentos, octoq; lustra simul,
Quindecimus Maij radiabat Lucifer ortu,
Attulit o quantum lucifer ille boni.
Illustri tandem Brunswiga venit ab urbe,
Multiplici Pastor vix datus ille prece,
Qui nobis sacro verbi fulgore tenebras
Discutiens, nubem pectoris eripuit.
Ut sole exorto noctis caligo recedit,
Sic quoque divina reddit a luce dies.
Impietas cecidit, cultus cecidere prophani,
Reddidit ut sacros concio sacra sonos.

Impia

Impia conticuit Rhodij cultura colossi
Signorum pariter concidit omnis honos.
Sacrificus cultu peragens fera sacra nephando
Deuouit ritus protinus ipse suos
Hoc etiam Christi reuocata est vindice mensa,
Crimine sacrilego cōtemerata diu.
Illo, quo sanctus descendit ab æthere fotor,
Primum cœna pijs participata die:
Qui missus fuerat cultus purgaret inanes,
Post factus curat pastor ouile D E I.
Pastor habet nomen fatale GEORGIVS ille,
Cognomen Drosen clara domusq; dedit,
Nempe nouas Christo insereret propagine vites,
Eset & ætherei uinitor ipse patris.

EPIGRAMMA.

Hic, vbi restat adhuc templi structura uetus*ti*,
Quam licet in medio quemq; videre foro,
Quondam florebat Monachorum tetrica secta,
Cui dirus velans membra cucullus erat.
Postquam diuinus cœpit lucescere fulgor,
Denuo lux tenebris fulsit oborta feris,
Continuo latebris multam dixere salutem,
Sedibus & cæcis exiliere patres.

C

Præbuit

Præbuit in summo granaria commoda templum,
Machinulas belli nunc locus imus habet.
Area iuncta fuit, quondam venerabile bustum,
Qua datur ad portam currere lata via,

AD SINGELIVM VERBI
Dei Ministrum in oppido San-
gerhausen.

Si vis Singeli tranquillam ducere vitam,
Quæ minus offense, quæ sapienter eat,
Præstabis semper, tua ne iactetur ab atris
Fluctibus insani stulta carina freti,
Ipse nec horrescens nimium, fugitansq; procellæ,
Hærebis circum littora tuta maris.
Illud, quod medium est, atq; inter vtrumq; probato,
Surgere nolo nimis, nolo iacere tamen.
Hoc pacto inuisam vitabis sobrius aulam,
Immundæ effugies sordida tecta domus.
Conuellunt celsas ventorum flamina pinus,
Et casu turris decidit alta graui.
Iupiter elisum super alta ceraunia telum
Torquet, & excelsus sæpius ardet Athos.
Si quando sapiens fatis agitatur iniquis,
Expectat rebus fata secunda suis,

At se

At secura bonis cum fulgent ocia rebus,
Pectora solliciti plena timoris habet.
Iupiter altitonans inducit nubila cœlo,
Idem restituens aëra pellit aquas.
Si fortuna malis onerat nos, prospera cessante,
Mollior afflictis aura venire solet.

FINIS.

Ex Literaria officina Lett-
coreana, Anno, vt
supra, Mense ve-
ro Maio.

1100. Etiam in aliis personis etiam
etiam in aliis personis etiam
etiam in aliis personis etiam
etiam in aliis personis etiam

1101.

1102. Etiam in aliis personis etiam
etiam in aliis personis etiam
etiam in aliis personis etiam
etiam in aliis personis etiam

8 July. Es beſtand ein ungewöhnlich
guter Zustand am See auf dem Lande
vor & auch hier gaben die Adels
Golde peripherisch bedeutend weniger
abflockt als im Winter zuvor folgt.

Der erste Winter ist vorüber drage
stet Gott mit. Dieser Frost nicht
fast mehr Eis am See und doch
tausende von unverwesenen Wasser & Te
foore. Es geht hing's nur gut
heran.

A3: 44 19
4,13

Anlage: 65. M. Plan

1982

TA 70 C





B.I.G.

Farbkarte #13

Centimetres



EPITHALAMI

ON DOCTI VIRI CHRIS.

tophorii Trutenbuel, & virginis Clas
ræ filiæ Consulis Marci Mulleri
Ascaniensis.

AVTORE THOMA
Bussiano Ascaniensi.

VVITTEMBERGAE.

Anno Salutis nostræ,
M. D. XLIII.